



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

Nativ. B. M. V. 8. Setembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

lud præferim, quo festos Divorū dies  
aleis, choreis & id genus ludicris vul-  
gus amat profanare. Cū aures nec-  
quicquam diu pulsasset, dæmoni deni-  
que malo, qui ad eas nugas impellere  
animas adfolet, pro concione impera-  
vit, positā larvā palam sese ostenderet.  
Enimverō paruit tam horribilis, ut jam  
magistri sui puderet in ludo discipulos,  
facileque cum illo etiam hunc damna-  
rent. Sed, ô Superi, invenit hodie ite-  
rū discipulos pessimus Doctor. Juvat  
chartas minimè doctā pietas manu cre-  
pare. juvat aleam (vel salutis) jacere;  
juvat terram plaudere, & ne sero perea-  
mus, ad orcum non jam imus; curri-  
mus, saltamus. *Ex Surio.*

NATIV. B. M. V. 8. Septembris.

Potuit deniq; post longissimæ noctis  
tenebras solem hoc die tellus spe-  
rare, quando tot votis jam olim exoptatam nasci *Auroram* vidit, **MARIAM**  
inquam, quæ Ioachimo atque Annā  
prognata lucem primò vidit dicam? an  
videndam orbi propinavit hodie. Certè  
festum agere hunc diem multis jam  
retrò seculis Christianus orbis insti-  
tuit, idque cælo auctore. Nam ferunt  
Anachoretē hâc ipsâ luce quotannis  
audire cælestes illos Amphiones soli-  
asse, qui latissimis modulis omnem  
tate aërem exhilararent; sed & Paulum  
quen-

quendam annis permultis sub eam noctem, quæ diem *Virginis* natalē præit, vidisse sidus ingens cælo se demittere, & festivis ignibus ædem Lauretanam exornare: utrumque porrò Angelis doctoribus didicisse, id ob *Cunarum virginearum* memoriam Superos factitare. Echo itaq; solum est omnis hodie mortalium plausus, quàm cælum suis concentibus provocat, utinam vel ad ultima hujus vota responsura! scintilla est, ab æthere in animos hominum illapsa, utinam in incendia abitura! Bene profecto Innoc. IV. quod à morte Cælestini IV. Pontif. Max. creatio, quam *Friider. II. Imperat.* turbare nitebatur, *VIRGINIS* ope feliciter successisset, patronæ cunas omnibus annis dies VIII. celebrari iussit. Sed hoc etiam parū esse, audacter dico. Felices illæ *Cunæ*, illæ *linguæ*, in quibus quotidie *MARIA* cum aurorâ nascitur, cum sole vivit, & neque cum die emoritur. Ex *Duran. Beleh. Vincent. Turfell.*

S. ADRIANVS M. 8. Septembris.

**M** Appam dixisset martyrum sanguinem, qui hunc mitti vidisset, tam ad pugnam Christianos olim passim excivit. Ita ADRIANVM ex equestri ordine virum, ut Christo militaret eadem prælia, martyrum gloriosa & invicta in tormentis constantia accenderunt.

li runt.